DE BEATA MARIA AD NIVES

ORATIO

Habita Nonis Augusti MDCLII.

In Sacello Gregoriano Basilicæ Vaticanæ

A PETRO PAVLO SALICIO SACRARII eiusdem Basilicæ Acolytho.



ROMAE, Apud Franciscum Monetam. 1652.

Superiorum Permissu.

Illustriss.^mo^ ac Reuerendiss.^mo^

CAPITVLO,

ET CANONICIS

Sacrosanctę Basilicę Vaticanę.

IOANNES BAPTISTA MAZZIOTTVS F.



BENEFICIA vestra constanter in me perseuerant Illustrissimi Præsules: gratiarū actiones, præter quas nihil possum tribuere, annuatim rependo; dum quotannis breuis de Beata Virgine oratio prodit in lucem. Ea quàm impar sit auribus vestris

equidem ſcio, & vos plane con-ſpicitis; rudis enim eſt, elegantiæ inops, & gratiarum orbata luminibus, malui tamen mea vobis inſcitia fieret explorata, quàm ſuſpicio vlla animi parum beneficiorum memoris ſuboriretur. Orationem hanc, qualiſcunque illa ſit, vobis offero, veſtriſque nominibus voueo: hãc qui legerint, beneficentiæ veſtræ plurimum me debere, meumque debitum non diſſimulare intelligant.

Valete.

Alues

NIVES EXQVILINAE.



Cce quæ olim à Sole decolorata se cõtraxisse nigredinem pulchritudini tamẽ nihil officientem profitebatur sponsa cælestis: nunc candore suo Terram vestit, & in Niue delapsa immodicos retundit Solis ardores, diuq. illo flagrante spectari poscit incolumis. Prodigiosam hyemem æstate media in Exquilinos colles inducit, quæ vernam suo aspectu fecerat tempestatem; quæq. hyeme iam transacta, & imbribus ablegatis iubetur surgere; cùm ipsa hyeme intempestiua descendit, & Nemeæo sub igne fatiscentem Terram niueo refrigerat vellere, gelidosq. Decembres cum æstuante confundit Augusto. Quare verò in niues Deipara Virgo delabitur? Tota illa amor est, tota æstuat charitate; eòq. amoris eius incendia processerunt, vt fulciri se floribus, stipari malis posceret, quò languores amoris aliquantisper deferuescerent. Nec mẽdicato à Niuibus candore indigebat, quam il-

libata conuallium lilia vestijssent. In Niuium tamen lapsu sapientiam Diuini Numinis ipse conspicio, & explicandæ conditioni Deiparę satis commodas arbitror istas Niues. Curabo igitur, vt in Niueo imbre Deiparam, in candore, eius incredibilem magnitudinem dignoscamus.

Niuem esse aquam nubium densitate concretam aliàs ab hac eadem exhedra intellexistis; & interpretes naturæ Philosophi, & ipsa experientia dictis fidem conciliarunt, nec aliquid præter aquam esse potest, quod in aquę figuram recedit, cum liquescit; eam tamen, & densitas, & figura ipsa quidpiam ab aqua diuersum esse persuaderent, si fidē nostram iudicia sensuum sibi vsurparent. Hinc proculdubio conditionem Virginis, & naturam conijcere licet, quæ humanitatis intra fines ipsa etiam cum cæteris hominibus continetur; tam cumulatè tamen in illam Diuinæ liberalitatis beneficia confluxerunt; eò deuenere operum probitas, & morum honestas, vt hominis species propemodum euanuerit, difficileq. credi potuerit ab Adamo genus, & originem traxisse.

se. Et quo pacto infra Deum non supra homines arbitraberis, cuius in sinum Deus ipse descẽderit? cuius vteri domicilium elegerit? ex cuius sanguine formam humanam sibi construxerit? cuius filius credi, & esse voluerit? Nonne quidquam aliud alienum ab humana conditione credideris matrem Deiparam, sicũ obijcientur cogitationi Virginitatis cum foecunditate commercia, quæ nec fieri posse in hominum animos caderet, nisi facta iam esse fides doceret? Interrogate Maiores vestros Romanos videlicet rerum Dominos, Dei tamen adhuc cognitione destitutos, quid de societate virginitatis cum maternitate senserint, cum templum tunc interiturum oracula prędicerent, statimatque pareret Virgo. Non me latet hanc historiam à nonnullis fuisse falsitatis insimulatam; opinionem ipse vulgi interim sequor, cui etsi non admodum tutæ adhęrere conceditur Oratori. Habita igitur est fides oraculo, ęternitatis opinio Templũ obtinuit: æquatura seculorum perennitatem, ipsique Mundo, si fas esset, superfutura eius opificij mœnia credidere, quorum casui & excidio

essent præsusura Virginitatis cum maternitate commercia.

Nonne mensurā humanitatis excessit Virgo in quam Euę maledicta nulla transierint? quā serpentis fraudes, & pomi lethalis morsus nihil infecerint? quam exilium è Paradiso terrestri nullo penitus affecerit damno? De viciata radice arbor illæsa iam viguit: temerato in solo pulcherrimus flos, & omni labe immunis adoleuit: inter spinas lilium canduit, in quod nullum ex humanitate nostra contagiū permanauerit.

Virginem hanc nobiliora Vaticinia prædixerunt, ampliora priuilegia locupletarunt, sublimiora Elogia extulerunt: quidquid conspicui habuere secula, quæ Christi ortum antecesserunt, eo tandem spectabant, vt Virginem Deiparam figurarent; minus tamen commodè id actum est cum omnibus; quandoquidē immensa eiusdem Virginis magnitudo fuit in causa, ne id assequi possent. Floruit virga Iesse, & in eius floribus integritatē Virginis venera mur. Incōsumptus exarsit rubus ille, qui Moysis oculos inter Oreb sublimia verberauit,

& animum in ingentem admirationem induxit; in ijs prodigiosis ardoribus intemeratam Deiparæ Virginitatem reueremur. Mirificè primorum nostri generis Patrum oculos Paradisus ille terrestris diuini artificis manu, qua extructus, qua consitus, oblectauit, & destinatæ mortalibus in Cœlo felicitatis quidam veluti prægustus antecessit; in eius loci iucunditate, soli amœnitate, florum, reliquarumq. fruticum pulchritudine mirificas Virginis dotes, & virtutum ornatus eximios adoramus. Vicit stuporem ipsum Templi à Salomone conditi augusta nimium, & incredibilis magnitudo, in quod construendum marmora omnia confluxerunt, cuius ornatus vniuersa propemodum eius locupletissimi seculi ęraria exhausit, in cuius magnificentiam tota penitus artificum industria effusa est; in eius magnitudine, diuitijs, pulchritudine, magnificẽtia, celsitatem, sanctitatem, & maiestatem Virginis intemeratæ suspicimus. Verum imparia omnia Virgini exprimendæ, sunt: cui æquale nihil est, nihil simile. Iesseæ virgæ flores languescunt, decrescit rubi miraculum:

Paradi-

Paradisi oblectamẽta iniucunda sunt, vilescit Templi maiestas; si cum pulchritudine, cum virtutibus, cum maiestate Deiparę comparẽtur: & se solam exprimit, cætera omnia non sufficiunt.

Ecce igitur Virgo inter homines, & alumna Terrarum, humana omnia, terrenaq. longis adeo interuallis pręcedit, vt ex Adami non nata progenie videatur; in eiusq. diuinitatem asserendam hominum consensus descenderet, nisi fides ad affirmãdam humanitatem impelleret. Quod si mihi non creditis, Dionysium Areopagi gloriam, & maximum Ecclesiæ iubar consulite; à fide, dicet ille, se impeditum, ne Virginem diuinis honoribus adoraret: cæterum eam esse vultus maiestatem, & ornamenta, quæ corpus atque animum decorarẽt; vt ad adorandam illam tanquam Deum se prouocari sentiret.

Hinc præterea fit, vt in Niue Deiparam dignoscamus. Niuis enim color intensioris albedinis visum disgregat, obtundit, & pene consumit. Hebetantur nostrarum mentium acies, dum in contemplandam Virginem dirigun-

riguntur; ea enim est illius magnitudō, vt vires, & conatus ipsos ingeniorum excedat.

Appello testes tenebriones illos, quorum oculos hæresis obcæcauit, cùm enim ij in Virginem spectari perdifficilem, oculos fixerint; miserandam ab obiecta luce caliginem hauserunt, & ambulantes per offusas errorum tenebras, præcipites in inferos acti sunt. Arij, Nestorij, & cæterorum huius classis infelicium hominum cæcitas docet, quàm plenum aleæ opus sit in Virginem, fide non adiuuante, obtutum conijcere.

Virginem igitur in Exquilinis Niuibus cōtemplemur: Augeat pietatem nostram candidi imbris miraculum. Discamus ab Niuibus inter æstus immodicos albicantibus intensum diuini amoris ardorem summa cum pudicitia posse coniungi: nec aduersari ignem charitatis virginitati, dum societatem Niuium æstiuus calor admittit.

Dixi.

In Niuem Exquilinam.

EPIGRAMMA.

Fortiter æstiua torquent tua viscera flamma
Horrida dum Phœbus claustra Leonis adit.
En tibi plaudentes pandunt miracula nubes,
Aestibus in medijs nix violenta ruit.
Talia tunc Populo exhibuit spectacula Cœlum,
Cum manna effudit munera larga sinu.
At strages ea manna dedit, cadesque cruentas
Infandisque super gentibus ira Dei.
Ast hic ne trepides collis superare cacumen,
Nulla metus facies, mors ibi nulla manet.
Nix hac solatur, Sanctumq. inducit amorem,
Et parit Excelso Templa, Domosque Deo.

Dominicus Orpheus de Leonibus Sacrarij Basilicæ Vaticanæ Acolythus.



De

De Virginea Niue Aestum diui ni furoris mitigante.

EPIGRAMMA.

AEstibus in medijs, cunctisq; arentibus aruis,
Aethereis domibus Nix inopina cadit.
Exquilios tantum Colles tegit. vndiq; mirum.
His lapsis Niuibus plurima signa latent.
Scilicet, vt Cœlo liquidæ dum vellera lanæ
Stillauere, calor mitior inde redit:
Sic niuibus calidi deferbuit ira Leonis,
Mitior & Templi Numinis ira Niue.

Caroli Veterani Sacrarij Basilicæ
Vaticanæ Acolythi.

Virginea noctis pellitur vmbra Niue.

EPIGRAMMA.

NIx cAdit, occiduus dum Phœbus lumina terris
Abstulit, at nocti Delius ecce nouus.
Candida nam Nix, Virgineus quam mittit Olympus
Lumina Titano lucidiora refert.
Sol Virgo est: quid mirum si decorata nitore
Turbida Nox tali, est lucida facta dies?

Petrus Paulus Salicius Vaticanæ Basilicæ
Sacrarij Acolythus.

De

De Niuibus Exquilinis.

EPIGRAMMA.

AEstibus immodicis Tellus agitata fatiscit,
Dum Niueo exquilium conditur imbre solum.
Quà riguere Niues statuuntur Virginis Aedes.
Virgo sibi hic poni grandia Templa iubet.
Perpetuas hyemes, aestus hac Templa perennes
Stabunt: hac aestus, hac posuere Niues.

Ioseph Palmerius Romanus Vaticani
Seminarij Alumnus.

De Niue Augustali.

EPIGRAMMA.

QVa noua cum flammis niuium commercia? Tellùs
Aestuat, & Niueo stat glaciata gelu.
Prodigij Virgo est opifex, cur tempora rerum
Mutat, & ingenium, destruit atq; vices?
Si faueat Virgo, struet illa in pectore flammas,
Virgineasq; animi nutriet illa Niues.

Ioseph Gallina Romanus Vaticani
Seminarij Alumnus.



Fine